



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd clerico non liceat alienas possessiones conducere aut secularibus se  
negociis immiscere. cxlv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Vt peregrini clerici sine literis sui episcopi non recipiantur. Cap. CXXXIX.*

**P**EREGRINOS clericos & lectores, in alia ciuitate, præter commendatitias literas sui episcopi, nusquam penitus ministrare debere. *Ex cõcil. Chalced. cap. 13.*

*Vt clerici in aliena ciuitate non maneant, nisi episcopus loci mores eorum præuideat. Cap. CXL.*

**V**T clerici in aliena ciuitate nõ immorentur, nisi causas eorum iustas episcopus loci, vel presbyteri locorum peruiderint. *Ex cõcil. Carthagi. ca. 35.*

*De clericis & monachis, qui sine literis episcopi sui vagantur. Cap. CXLI.*

**C**Lericis vel monachis sine commendatitiis epistolis episcopi sui licentiã non pateat euagandi. *Ex eodẽ concil. ca. 36.*

*De eadem re. Cap. CXLII.*

**C**Lericis sine commendatitiis epistolis episcopi sui licentiã nõ pateat euagandi, in monachis quoque præsentis sententiã forma seruetur. *Ex eodẽ concil. ca. 37.*

*Vt pauperibus & indigentibus auxilio, quum proficiuntur, pacificis literis sit subueniendum.*

*Cap. CXLIII.*

**O**Mnes pauperes & indigentes auxilio quum proficiuntur, sub probatione epistolis, vel ecclesiasticis pacificis tantummodo commendari decreuimus, & non commendatitiis literis, propterea quod commendatitias literas honoratioribus tantummodo præstari personis conueniat. *Ex cõcil. Chalced. cap. 11.*

*Vt illi clerici qui in alias prouincias suos sequuntur seniores, sine formata ministrare non permittitur. Cap. CXLIIII.*

**Q**VI cum senioribus suis de aliis prouinciis in aliam prouinciam veniunt, sine formata ministrare non permittantur, quam etsi attulerint, & ministrare idonei inuenti fuerint instruantur, quàm religiosè atque studiosè sacrum ministerium peragant, & in quibus locis agere debeant. *Ex cõcil. Meldesi, cap. 2.*

*Quod clerico non liceat alienas possessiones conducere, aut secularibus se negocijs immiscere. Cap. CXLV.* *Ex cõcil.*

**P**ERVENIT ad sanctã synodum, quod quidã, qui in clero videntur electi, propter lucra turpia cõductores *Chalced. cap. 3.*

D. BYRCHARDI EPIS. VVORMAC.

alienarum possessionum fiant, & secularia negocia sub  
ra sua suscipiant: Dei quidem ministerium paruipenden-  
tes, secularium verò discurrentes per domos, & propter  
auaritiam patrimoniorum sollicitudinem sumentes. De-  
creuit itaque sanctum concilium, nullum deinceps, non  
episcopum, non clericum, non monachum, aut possessionem  
conducere, aut negociis secularibus se miscere, præter ec-  
clesiasticarum rerum sollicitudinem.

*Ut nullus laicus presbyterum suum villicationi-  
implicare præsumat. Cap. CXLVI.*

*Ex concilio  
Meldensi,  
cap. 6.* **I**tem iubendum est, ut nemo laicorum presbyteros Ec-  
clesiarum suarum turpi villicationi, & secundum apo-  
stolum seculari & inhonestæ negotiationi implicare, nec  
secum aliorum contra autoritatē præsumat ducere, qui  
ministerium sibi commissum cogantur negligere. Quod  
si hæc interdicta præsumperit, excommunicetur.

*De illis presbyteris qui contra statuta canonum villici fiunt,  
& alijs sibi non concessis implicantur negocijs, vicis-  
sime non admittendis. Cap. CXLVII.*

*Ex eodē,  
cap. 5.* **S**imiliter de illis presbyteris, qui contra statuta cano-  
num villici fiunt, tabernas ingrediuntur, turpia luctu-  
sectantur, & diuersissimis modis vfuris inseruiūt, & alio-  
rum domos inhonestè & impudicè frequentant, & comen-  
sationibus, & ebrietatibus deseruire non erubescunt, &  
per diuersos mercatus indiscretè discurrent, obseruandum  
iudicauimus, ut abhinc districtè, seueritèrque coercitio-  
ne per eorum illicitam & indecentem actionem, & mini-  
sterium sacerdotale vituperetur, & quibus debuerant esse  
in exemplum, deueniant in scandalum.

*Nulli clericorum, ne subdiacono quidem connubium  
carnale conceditur. Cap. CXLVIII.*

*Ex epist.  
Leonis pa-  
pæ, cap.  
34.* **N**AM quum extra clericorum ordinē constitutis, no-  
ptiarum societati, & procreationi filiorum studium  
sit liberum arbitrium, ad exhibendam tamen perfectæ con-  
tinentiæ puritatem, nec subdiaconis quidem connubium  
carnale conceditur, ut & qui habent, sint tanquam non ha-  
bentes, & qui non habent, permaneant singulares. Quo